

Petrus in hæresim incidisset; exemplo enim suo Circumcisionem & Legalia ad salutem necessariò adhibenda & docuisset, & comprobasset; quod utique hæresim prorsus olebat, præsertim post Jerosolymitani Concilii, cui Petrus ipse præfuerat, decisionem: quo etiam fiebat, ut Gentium Fideles ad Legalia per vim cogerentur, ut Paulus Cephæ exprobravit (i): Quomodo Gentes cogis judicare? Cum verò Petrum hæresi obnoxium asserere à pietate prorsus abhorreat, statuendum est fanè à Petro alium fuisse, quem Paulus, utpote objurgatione dignum, increpavit.

Galat. 2. 14.

Act. 11. 17.

Injurià præterea hæresis crimen nonmodò Petrum læcessit, sed & ab omni probabilitate, ut eà labe Petrus inficeretur, longissimè abest. Postquam enim de totius Concilii Jerosolymitani sententiã Gentium Fideles ad Circumcisionem minime adigendos esse protulisset; postquam Cornelium diu ante baptismate abluisse, & minime ad Circumcisionem compulsò, cum eodem discubuisse; postquam denique Jerosolymæ Fidelibus, qui, quòd Ethnici consuetudine non abstinent, offensi fuerant, reposuit (k): Si eamdem gratiam deditis Gentibus Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum? quomodò Antiochiæ sese ei pavore, & infirmitati concesserit, ut, ne Judæis ingratus evaderet, à Gentium Fidelibus discederet?

Si Petrus in hæresim verè incidit, quid de ejus vita, doctrina, & consiliis nobis fuerit cogitandum? Si semel à fide aberravit, cur bis, cur ter, cur centies etiam non defecerit? Si autem Apostolorum Princeps ita corruit, nonne & nutat nostra Fides, ejus prædicatione, & testimonio quàm maximè innixa? Paulus etiam anne Petro pluris habendus? an ab erroribus magis immanis? Quæ igitur eorum verbis adhibenda Fides? Ecce, inquit, ad quas angustias redigimur, si Petrum, quòd à veritate defeceret, meritò à Paulo objurgandum fuisse tuemur.

Galat. 2. 7. &c.

S. Paulus in suã ad Galatas Epistolâ Petrum & reverenter, & ejus consueto nomine appellat (l): Qui videbantur esse aliquid, mihi nihil contulerunt; sed cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputi, sicut Petro circumcissionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatam circumcissionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cum cognovissent gratiam, qua data est mihi, Jacobus, & Cephæ, & Joannes, qui videbantur columna esse, dextras dederunt mihi &c. Credibile ne fuerit, quòd postquam bis Petrum suo nomine vocaverat, Cephæ statim sequenti versu appelleret; neque eum cæteris, quos recenset, præponat, sed post Jacobum constituat, cum primam ei dignitatem nunquam ademerit? Hæc nominis mutatio, hæc dignitatis inversio nonne Paulum aliquatenus Petri contemptorem inducit? Adeone indignè majorem natu Apostolum, & Senatibus Apostolici Principem Paulus accepisset? In Græcis exemplaribus hic locus

diversimodè legitur: quam varietatem infra perpendendam suscipiemus.

Cephæ, quem Paulus redarguit, Barnabâ, imò & Legatis, qui Jerosolymis Antiochiam venerant, inferiorem ab ipso Paulo habitum esse, ex ipsius Epistola (m) Textu insinuari videtur; dicitur enim Cephæ, post illorum adventum, à Gentium Fidelibus discessisse; quare Judæorum ceteri, qui illuc usque cum eisdem discubuerant, in eandem simulationem devenere; ipse verò Barnabæ cæterorum exemplo adhærens, ab iisdem Fidelibus abstinuit. Ita ut & Barnabæ duceretur ab eis in illam simulationem. Ab eis, nempe Jerosolymorum Legatis, non à Cephâ, quòd tantæ sibi non esset autoritatis, adductus refertur. Anne hic, vel Barnabam, se Petro majorem reputasse, vel Apostolorum Principi à Paulo præferri voluisse autememus?

Ex ipsâ objurgatione, qua Paulus Cephæ corripuit, argumentum, quo Cephæ alium à Petro constituat, Harduinus deducit. Illum, inquit, imperio & auctoritate coarguit, quin documentis de monitione fraterna in Evangelio à Christo exhibitis (n) uteretur, cum enim Christus delinquentem, antequam palam redarguatur, clam primùm corripit jussit, Paulus coram omnibus Cephæ, veluti Præceptor discipulo, imperio exprobravit. Paulum verò eam in Petrum sibi auctoritatem tribuisse, ut illum palam arguere sui muneris esse duceret, seque eodem Petro superiorem reputasse, nemo unquam crediderit.

Ex duobus Discipulis, quibus ad Emmaus vicum pergentibus se itineris comitem Christus exhibuit, unum fuisse Cephæ, eundemque, quòd de circumcissionis necessitate eos suadere conaretur, Galatis turbationem creasse, Harduinus conjecturâ comprehendit (o); contra quem etiam Apostolum loquutum addit, cum Epistolæ ad Galatas initio suam auctoritatem roborat, suamque his verbis Apostolatam confirmat: Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. Qua in re Paulus utique Petro præstantior minime fuerat; fuerat verò longè præstantior Cephâ, quem Christus per semetipsum neque miserat, neque erudierat.

Distractionis propter Cephæ, & Apollo, qui ad Corinthios post Paulum conclusiones habuerant, exortæ cum ipse Apostolus meminit, post ipsum Apollo Cephæ collocat (p). Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ. Si igitur de Petro egisset, anne sibi & Apollo posthabuisset? Se quidem, & meritò, primi nominis Apostolum, & Cephâ, & Apollo, quorum ille Discipulus, hic tantum Evangelii præco, longè majorem fatetur.

Alibi etiam Cephæ, ac si primos inter Apostolos non recensetur, Paulus meminit [q]: Numquid, ait, non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephæ? Nonne hic dilucidè Apostolis, &

Ad Galat.

Matth. 18.

Differt. in hunc loc. 89. 10. pag. 927.

1. Cor. 12. 6.

1. Cor. 9. 3.

& Domini Fratris, qui ex Apostolis non erant, inferiorem Cephæ constituit?

1. Cor. 15. 5.

Luc. 24. 34.

Joan. 1. 42.

Cephæ, cur Christus videndum se obtulit, ut in prima ad Corinthios [r], juxta Harduinum, alius fortè à Petro statuendus. Ex S. Lucâ Dominum Simonem apparuisse habemus [d], non verò antequam undecim Apostolos exhiberetur. Paulus autem Christum primò Cephæ, deinde undecim Apostolis se obtulisse testatur: Quia visus est Cephæ, & post hæc undecim. Cephæ igitur in Emmaus pergenti, eademque die ad vesperum undecim Apostolis Jerusalem congregatis se Christus exhibuit. Cephæ itaque alius omnino est à Petro.

Ut primùm Simonem Andræ fratrem Domini vidit, eundem sic est alloquutus (t): Tu es Simon filius Jonæ: tu vocaberis Cephæ: quod interpretatur Petrus. Cephæ igitur Petrum ab iis Christus appellari voluit, qui Syriacè vel scriberent, vel loquerentur; à Romanis verò Petrum, à Græcis tandem à Græcis. Cum itaque Novi Testamenti Authores Græco idiomate scriperint, Petrum semper suo nomine appellarunt, nunquam Cephæ. Quare, si Cephæ hic dicitur, alius prorsus à Petro censendus.

Harduinus adhuc validissimum, ut putat, argumentum exhibens, Patres, inquit, & Authores, qui Cephæ nomine hic Petrum accepere, Catholica Ecclesia rejecit, quod statim ita probat: Qui Petrum hic accepere, eò sunt ducti, quòd pro Cephâ ibi Petrum legerint: quam quidem lectionem Ecclesia rejecit, cum in Tridentino Concilio probaverit Vulgatam, quæ utroque loco Cephæ præfert, minime Petrum, ut in Græcis Exemplaribus excusis est reperire. Si igitur Ecclesia per Vulgatam approbationem primam lectionem rejecit, rejecit etiam eorum sententiam, qui Cephæ nomine Petrum accepere; hoc enim ab illo necessariò inducitur.

Si denique Cephæ idem cum Petro fuerit, eà explanatione abutuntur hæretici, ut summi Pontificis auctoritatem infirmit, ut Ecclesiæ Principem in rebus dirimendis infallibilem non esse ostendant, utque Episcopum Præsuli suo, cum eo major nemo addit, obfistere interdum posse tueantur.

Hæc argumenta præcipua, quibus P. Harduinus S. Paulum Antiochiæ non Petro exprobrasse ostendit, sed Cephæ, ubi ex Discipulis, qui pertinaciter circumcissionis & Legalium necessitatem defendebat. Nunc ad contraria.

1. Veteres, qui hujus sententiæ fautores afferuntur, eò rem non duxerint oportet, quòd à systemate quod Harduinus sibi proponit, detorqueatur: ii enim, & eorum sanè plerique, Cephæ à Paulo redargutum alium ab Apostolorum Principe asseruisse contenti, eò non sunt progressi, ut Petrum nullibi, nisi semel apud Joannem (u), Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephæ: quod interpretatur Petrus, Cephæ appellari, & cæteris in locis, in quibus Cephæ mentio, de eisdem nominis Discipulo, à Petro longè alio,

Joan. 1. 42.

Differt. Calmet Tom. II.

sermonem intulit tuerentur.

Hypotyposeon Liber, quem citat Eusebius (x), ubi Cephæ unus ex septuaginta Discipulis asseritur, omnino perit. Eiusdem neque in Codice genuino S. Clementis, neque apud Authores Eusebii coævus ulla mentio. Illum præterea ipse Eusebius Clementem tantummodò, non Clementem Alexandrinum appellat. Photium quidem ejus in suâ Bibliothecâ meminisse, & ea propter sæculo nono adhuc extitisse fateor; at ne verbo quidem hæc peculiarem S. Clementis de Cephâ sententiam Photius attingit; se tantummodò Hypotyposes evoluisse (y), easque crassis erroribus, inanibus fabulis, & sensibus impiiis refertas reperisse testatur; quorum exemplum aliquod referens, suum à veritate testimonium non discedere, satis ostendit. Cl. Boileau, qui systema relatum strenuè refellit, an S. Clementis Alexandrini opus Hypotyposes fuerint, opinione sibi peculiari, videtur ambigere (z). Certò saltem constat, ejus generis, quod Photius refert, Opus nullatenus accommodum esse, ut in eo tanti ponderis factum constituatur; cui pessima quidem basis supponitur, si Hypotyposeon imbecillæ nimium, & nutanti auctoritati commendetur.

Euseb. hist. Eccles. l. 2. c. 12.

Phot. Biblioth. Cod. 109.

Boileau Disq. Theol. in hunc loc. Paris. 1613. n. 10. pag. 57. &c.

Miror equidem tam à sententiæ Petrum à Cephâ fecerentis fautoribus, quàm ab eisdem oppugnantibus, productum non fuisse Chrysostrum, qui dilucidè eos improbat, qui an Petrus Cephæ fuerit, ambigebant. Equè enim allegari poterat ac Hieronymus, qui eam opinionem non nisi oppugnaturus adducit; poteratque etiam veluti affirmantis sententiæ fautor proferri, si auctoritati auctoritatem libuisset opponere. Ait igitur Chrysostrum, quosdam ita difficultatem explicare, ut Petrum, hunc (sic enim legit ipse pro Cephâ) minime illum esse dicerent, qui Princeps est Apostolorum, cui dominus ovium suarum curam tradiderat, sed alium, è vulgo, & sine nomine homunculum. Quæ verò subdantur, hanc opinionem confirmare. Barnabam etenim ipsum in eandem simulationem proruisse: quæ quidem verba, subdit S. Chrysostrum, innuere videntur, majori dignum esse admiratione, quòd Barnabæ ipse erraverit, quàm vir ille; qui Petrus appellatur. Barnabæ verò Petro inferior profectò est.

Hanc difficultatem solvens Chrysostrum, non inde asserit majorem creatam esse admirationem à Barnabæ simulatione, quòd ipse Barnabæ Petro præferretur, verum quòd cum esset Pauli comes, ad Ethnicos erudiendos Præco constitutus, nihilque cum Judæis ei esset agendum; nihilominus Petri, & cæterorum simulationem fuerit sequutus, qui Judæorum assidua consuetudine utebantur, & Judæis Evangelio imbuendis potissimum fuerant mancipati. Illud verò, addit Chrysostrum, eo loco Petrum verè affici ostendit, quòd id omne, seu quod præmittitur, seu quod subsequitur, ad Petrum dilucidè pertineat.

E c Sen-

a Hier. in Gal. 2. p. 244. nov. Edit.

Sententia Cephæ à Petro fecernenti Hieronymum minime favere, omnibus est compertum; aperte enim mentem suam exhibet (a): Sunt qui Cephæ, cui hic in faciem Paulus refertisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta Discipulis isto vocabulo nuncupatum. Quibus statim subjungit, sibi de alio Cephâ prorsus non constare, præterquam de illo, qui in Evangelio, & in Pauli Epistolis modò Petrus, modò Cephas appellatur. Quibus primò respondendum, alterius nescio cuius Cepha nescire nos nomen, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa, modò Cephas, modò Petrus scribitur. Cæterum, addit Hieronymus, si ad os Porphyrii blasphemantis obstruendum Cephas alter produci debeat, ne Petrum hic errasse nos fateri cogamur, per plurima etiam Scripturæ loca, quæ hic Ecclesiæ hostis idcirco tantum oppugnat, quod non intelligat, delenda essent.

S. Augustini mentem hic afferre supervacaneum ducimus, cum se sibi de Cephâ à Petro non fecernendo quam maxime suavis, omnibus sit perspicuum. Nos adhuc de quæstione juris, & de causa, quare Paulus ei exprobraverit, ejus sententiam supra attulimus.

Dorothei Tyrii testimonium iidem ipsi, à quibus assertur, quanti sit faciendum, dijudicent. Propter nugatorias fabulas, quibus scætet, nullius fidei Author reputatur; eumque viri docti vel nunquam allegant, nisi ut oppugnent, vel ut quasdam falsas & commentitias opiniones jam cognitatas quarto sæculo perhibeant. Idem Dorotheus Cephæ, quem septuaginta inter Discipulos enumerat, Conia, fortè Iconii, seu alterius urbis, fortè eidem ipsi incognita, Episcopum statuit. Ejus Opus ambiguum, & apocryphorum congeries est.

Gregorius (b) Magnus, in Petri virtutibus defendendis nemini planè secundus, eundem in simulationem (Non solum culpam, sed quod est majus, hypocrysim) incidisse, & meritò à Paulo redargutum ultro fatetur. Eos præterea respuit, qui Petro obsequuntur, non Apostolorum Principem, sed ejusdem nominis alium quemdam exprobratione dignum à Paulo increpatum tuerentur. Sunt nonnulli, qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium eo nomine, qui à Paulo sit reprehensus, accipiunt. Qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Demissum ac mitem Petri animum laudibus attollit, quod Pauli Epistolas, quibus ipse objurgatione dignus perhibetur, vehementer commendat. Eas sanè, subdit Gregorius, Epistolas Petrus legerat, quod easdem alleget, atque extollat: suis itaque, quod de se scripserat Paulus, oculis perciperat. Amicus ergo veritatis laudavit etiam, quod reprehensus est quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate.

c Oecum. in Galat. 2.

Inter Authores, qui Cephæ à Petro fecernunt, allatus est Oecumenius (c),

qui sæculo undecimo floruit, quique Cephæ ab Eusebio unum ex Discipulis septuaginta habitum refert, & hanc sententiam probabilem appellat. Quod quidem testimonium Hypotyposicon auctoritati nihil addit. Cæterum Oecumenius eam probabilem appellasse contentus, minimi eandem fecisse satis ostendit.

Commentarium qui sub S. Anselmi nomine diu latuit, Hervæo Natali Britanno, qui, teste Bellarmino [d], ann. 1325. florebatur, nonnulli attribuant (e); Gerberonius verò Hervæum Monachum Bugidolensem ejusdem Authorem profert. Omnes sanè S. Anselmo recentiorum esse conveniunt. Hujusmodi autem Scriptor novi nihil producit, & instar præclarorum Interpretum, quosdam extitisse refert, qui Apostolorum Principem à Cephâ fecernent: quam tamen sententiam neque assumit, neque tueritur.

Contra paucissimos, qui sententiam Petrum à Cephâ segregantem vel probant, vel modò proponunt, omnium hucusque ab Ecclesiæ initio ætatum, omnium in hunc locum Interpretum, & vetustissimorum Græcorum Exemplarium, quæ (adèd Petrum eundem cum Cephâ esse constabat) pro Cephâ hic Petrum legebant, anam vocem, & consensum producimur. Hinc factum est, ut Tertullianus (f), Hieronymus, Augustinus, Hilarius Diaconus, Gregorius Magnus pro Cephâ Petrum invexerint. Ita etiam legunt Veteris Vulgatæ Exemplaria, Claromontis & S. Germani Præsentis Ms. celeberrima, Ms. D. Bornier, quod in Novi Testamenti D. Millii recentiori editione, à Kusterò vulgatâ, allegatur.

Præterea hæc Ms. Tertullianus, Ambrosiaster, seu Hilarius Diaconus, & Theodoretus, ubi Vulgatâ, & Græcum impressum exhibent, Jacobus, Cephas, & Joannes (g), legunt: Petrus, Jacobus, & Joannes. Paulò verò post, versu nempe 11. cum Græco impresso coherent, & Petrum ingerunt, ubi Vulgatâ, & plurima præclarissima Græca Exemplaria (h) Ms. præfertim Alexandrinum, quod ad decem & tria sæcula vetustatem suam protrahere dicitur, plura denique Latina exemplaria Cephæ præferunt. Quam quidem lectionem veram esse, atque vetustam, & à plurimis præstantissimis Ms. Græcis, ab Alexandrino potissimum, quo Cyrillus Lucar Magnæ Britannia Regem donavit, à pluribus etiam Ms. Latinis allatam fateor. Ea denique lectio Clementis Alexandrini, Euthalii, & Eusebii Casariensis adhuc ætate, ut citatum Hypotyposicon testimonium præfert, invaluerat. Et quidem si alia fuisset genuina lectio, nunquam de Cephâ cum Petro confundendo dubitatum fuisset.

Earum variarum lectionum primos Authores, quicumque ii fuerint, hereticos S. Sedis infensos, vel callidos Scripturarum corruptores, vel saltem rudes Scriptores, qui imprudenter hæreticis favorerint, si quis fuisse asseveret; Sanctorum Patrum, & clarissimorum Interpretum plurimos gravissimè quidem, immeritò, & injuriosè

d Bellar. 1. de Script. Ecclesiastic. e Harduin. & Boileau locis citatis.

f Tertull. 1. 5. contr. Marcion. c. 3.

g Galat. 2. 9.

h Steph. in Cod. Alex. Barb. 2. Petri. 3. Col. 7. Cor. 2. Cophi. Vela.

triminaretur. Eo in loco de Petro sermonem institui, & Petrum eundem esse ac Cephæ, Veteres omnes crediderunt. Ad æquivocis aditum prorsus intercludendum, M. Alexandrinum Cephas apposuit, ubi Græcum & Latinum exhibebat Petrum: alii verò Petrum intulere, ubi in vetustis Latinis & Græcis Textibus Cephas præferbatur. Quæ sanè omnia idcirco tantummodo instituta sunt, ut lectorum errori occurreretur; & fortè ut eorum sententia intercideretur, qui, veluti Hypotyposicon Author, Cephæ quemdam alium à S. Petro, Veteribus omnibus prorsus ignotum, cuius ne minima quidem in Scripturis mentio, inferre studebant.

Argumentum à Chronologiâ petitum nunc evertamus. Ejus utique si flet veritas, cætera, quæ ad eandem sententiam improbandam afferrentur, infirma corruerent. Si enim cum Paulus Cephæ redarguit, Antiochiæ Petrus non aderat, Cephæ alium esse à Petro exploratum utique habemus.

De tempore, quo Jerosolymis coactum sit Concilium, minime conveniunt; ab his enim A. 49. ab illis verò A. 51. constituitur. Ejus quidem epocham omnes repetunt ex illo Epistolæ ad Galatas, ubi Paulus (i) quatuordecim post annis Jerosolymam profectus enunciat. Inde fit, ut quidam quatuordecim post annis à sui conversione eò se contulisse putent, & A. 49. Concilium statuunt; quidam verò quatuordecim post annis à primo itinere, quo Jerosolymam profectus est à sui conversione anno tertio, illuc perrexisse tueantur (k), & anno 51. Concilium constituunt.

Ut rûm præterea Concilium ante, an post Pauli, & Cephæ disidium Jerosolymis coactum fuerit, adhuc discrimen. S. Augustinus & alii (l) ante alii verò post eam disceptationem congregatum defendunt. Quæ de re certi nihil neque allatum, neque adhuc compertum: quod tamen hic maximi interest; etenim si argumentum, cui Petrum à Cephâ secerens sententia innititur, solâ conjecturâ fulciatur, adversa opinio utique de ea triumphum jam satis agit, cum maxime suffineatur à Patribus, Interpretibus, & iidem Scripturæ Textibus ad eundem faventibus, ut sola eorum evidentiæ omnes propè ad eandem adduxerit.

Quoniam verò de Chronologiâ digerendâ, re quidem à Scripturâ petita, arbitrariâ verò quoad sui circumstantias, agitur, nostram ab Apostoli conversione annorum supputationem ducemus. Paulus igitur anno post Christi Resurrectionem, nempe J. C. 34. Fidem amplexus, & tribus (n) post annis, nempe Christi 37. Jerosolymam profectus, Christi fidelium eleemosynas Antiochiæ collectas delaturus, eò iterum reversus est (o). Antiochiâ regressus, ibique Gentium Apostolus iterum constitutus, iis Fidem allaturus, Cyprum, Pamphylia, Pifidiam, Lyaoniam, Galatiam, aliasque Provincias peragravit, usque ad annum 51. quo Jerosolymam reverfus est collaturus cum Apostolis, quod scilicet

i Galat. 2. 1.

k Galat. 1. 18.

l Augustin. Epist. 81. nov. Edit. p. 193. m Pelag. II. Papa 1. 5. Concil. pag. 662. Ita Harduin. Vorst. Piscat. Gor.

n Galat. 1. 18.

o Act. 11. 29. 30.

Ethnicos ad fidem deductos nulli Circumcisioni adegisset (*). Concilium tunc Jerusaleme idcirco coactum est, quod Judæorum quidam Fidem recens amplexi, & adhuc de Lege solliciti, eam ad salutem prorsus necessariam enixè defenderent (p). A Concilio itaque diremptâ lite, & Apostoli doctrinâ comprobata, Paulus Antiochiâ rediit unâ cum sociis, ab Apostolorum consensu dimissis, ut de his, quæ statuerant, per Epistolam, quam deferebant, Ecclesiâ Antiochenam admonerent. Post Pentecosten, vel, si lubet, circa Septembrem, seu Octobrem Concilium hoc coactum arbitramur.

Aliquanto post Cephæ ipse, seu Apostolorum Princeps Antiochiâ migravit: sed ante, an post eorum, qui dimissi fuerant, reditum non decernimus, licet verosimilius post reditum arbitremur, cum legatur in Actis (q): Facto ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à Fratribus ad eos, qui miserant illos. Cum igitur res probè gestas, & Concilii sententiam Antiochiâ optimè exceptam Petrus ab iisdem, qui redierant, accepisset, eò & ipse se contulit: cum Fidelibus Gentium & incircumcisis aliquandiu convivit, & eorum consuetudine & mensis minime abstinent. Quibusdam interea fratribus à S. Jacobo Antiochiâ profectis (r), Cephæ circumcisos Judæos, Moysis Legem unâ cum Evangelio adhuc profitentes veritus, à Gentibus discessit.

Hinc factum est, ut Jerosolymis Concilium post hæc coactum fuisse nonnulli sibi suaserint: si enim, inquirunt, eâ de re solemniter statutum fuerat, anne S. Petrus iis, quæ in Concilio cum Jacobo & Joanne ipsemet decreverat, adherere erubisset, & Jerosolyma Fratres de re permittent, & quibusdam ante mensibus authenticè sancitâ offensionem accepissent?

Quibus eodem ferè argumento respondemus. Si ambigua & sub judice adhuc res fuerat, anne Petrus promiscuè cum Gentium Fidelibus discumbens, Judæorum Fidelibus, qui Antiochiâ debebant, offensionem creare se passus esset? Paulus verò, qui humilitate præstabat, primamque Petri Dignitatem optimè sciebat, anne coram omnibus Apostolorum Principi exprobrare ausus fuisset?

Utumque fuerit, hoc enim ambiguum, & problematicum ultro fateor, S. Paulus ea, quæ illuc usque docuerat, à Petri exemplo everti perpendens, ejus enim simulatio circumcisis Fidelibus Legalium necessitatem obtrudebat, sui muneris esse dixit Petrum arguere, quod sibi exprobratione dignus videretur.

Jerosolymâ verò Antiochiâ iter res certè tanta non erat, ut tempus ad consultandum & conficiendum exposceret. Hanc & illam Gallicæ leuæ 125. interjacent, quæ quidem minis diebus quindecim absolvuntur. Petro itaque tempus supererat, quo post illorum, quos Antiochiâ dimiserat, reditum, eò & ipse contenderet ante Pascha anni 51. quo adhuc tempore, seu paulò ante, Paulus & Bar-

* Act. 15. 1. &c.

p Act. 15. 1. &c.

q Act. 15. 33.

r Galat. 2. 12. Prius enim quam venissent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat (Petrus); cum autem venissent, subtraherat, & se segregabat se, timens eos, qui in circumcissione erant.